

2

**H**

pleni

sum omnes de

um

qui in


guerra alle

ut in ore eorum om

ni

um

nia ut nominum sanctificationis su



ov

nicht in Ab

10

U. g. 17, 9



AUXILIANTE OPTIMATVM PRINCIPE,  
P R Æ S I D E N T E,

DN. JOHANN-ULRICO PREGIT-  
ZERO, SS. Theologiæ Licentiato &  
Philosophiæ practicæ Professore publ.  
Favitore suo magno,

*Propositionem hanc,*

**OPTIMATUM STA-  
TVS EST OPTIMVS STATVS,**

*defendere conabitur,*

JOHANNES Pflieger / Augusta-Vindelicus.

*Ad diem 1. Februarij,*

In Auditorio Philosophico,

Horis antemeridianis,

**T U B I N G Æ.**

Typis JOHANN-ALEXANDRI CELLI.

ANNO MDCC LVI.



V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo & Prudentissimo,*  
DN. DAVID à STETTEN, Sacrae Cæs.  
Maj. Consiliario, & Reip. patriæ Augustanæ Duum-  
viro, Patrono suo gratioso.

UT ET

*Amplissimo, Prudentissimoque,*

DN. TOBIÆ FRANKENBERGERO, Quin-  
decim - Viro in inclyta Argentinensium Reipubl. dignissimo,  
Hospiti quondam exoptatissimo.

NEC NON

*Plurimum Reverendis, Excellentissimis, Consultissimis,  
experientissimis, spectatissimis, integerrimis.*

DN. M. JOHAN-HENRICO FABRO, Pastori Ulrica-  
no fidelissimo, & venerandi Ministerii A. C. Seniori di-  
gnissimo.

DN. M. HARTMANNO CREIDIO, Pastori Annæa-  
no vigilantissimo,

DN. MARCO FRIDERICO VOIT à  
BERG, J. U. D. Celeberrimo, & Consiliario } *Cognatis suis*  
Archipalatino. } *amatissimis.*

DN. JEREMIÆ CNEULIN, Med. D. &  
Practico felicissimo.

DN. DANIELI WIDHOLTZ, M. D. Reipub. August.  
Physico.


DN. M. MATTHIÆ WILHELMO, Gymnasii August.  
Rectori solertissimo, Præceptori ætatem colendo.

DN. ABRAHAMO PFLÉGERO, Parenti benignissimo,  
omnisque filialis obsequii pietate colendo.

DN. CHRISTOPHORO JORDAN, Affini jucundis-  
simo.

*Specimen hoc Philosophicum in debita ob-  
servantia testimonium inscribit*

JOHANNES Pfléger/  
Author & Respondens.



P R O O E M I V M.

**A**theniensem forte me dicet, stolidam  
 novitati juveniliter addictum, qui in titulo videbit  
 me Aristocratia contra communem Politicorum opi-  
 nionem, primum locum inter formas Rerumpublica-  
 rum assignare. Sed moderabitur spero impetum, si cognoverit,  
 me hoc non ex contradicendi temeraria libidine, aut ostentationis  
 aliqua vanitate, sed exercitii gratia facere. Non ego hic contra  
 sceptrorum majestatem disputo, quorum eminentiam, nemo sane  
 mentis unquam impugnaverit: Sed dum Aristocratia commoda  
 breviter explico, veniam dabunt rigidi censores, si reliquis pra-  
 stare eam dixerero. Liceat mihi ex Aristocratica Rep. oriundo, de  
 Optimatum statu optima pariter asserere, nemini sentiendi, quid  
 velit libertatem ereptum hoc ipso ibo, sed satis erit mihi, si proba-  
 vero, sine absurditate Regimen Optimatum praeferrere reliquis posse.  
 Quod ipsum dum nunc simplici brevitate facere aggredior, non  
 succensebo, si affectui erga Patriam me aliquid indulgisse quis di-  
 xerit, quod honorificum mihi potius quam probrosum futurum,  
 ideo spero, quia rationum assertio mea innititur fundamentis.

Thesis I.

**U**T igitur juxta Ciceronis monitum à definitione  
 disputationem ordiamur, dicimus Aristocratiam  
 hanc, cui primam inter Respub. sedem assignamus, spe-  
 ciem oligarchiae esse, ubi plures uno iique optimi re-  
 gnant ad salutem populi, reliquis exclusis.

A 2

Hujus



## II.

Hujus nunc Aristocratia probaturi eminentiam hoc ordine progrediemur, ut primo quidem rationes pro Aristocratia adducamus, deinde breviter illam cum reliquis formis conferamus, & denique ea quæ adferri in contrarium solent, discutiamus.

## III.

Primo ergò, si ea Reipub. forma optima censenda est, quæ ad naturæ æquitatem proximè accedit, meritò ille honor Aristocratia erit deferendus, cum æquissimum plane sit, & naturæ convenientissimum, optimos reliquis imperare, & ad clavum Reipub. sedere, adeo ut ipsum optimatum nomen, optimum statum innuere aliquo modo videatur.

## IV.

Secundo patet idem inde, quod finis ejus ad finem Rerump. generalem propius accedat, quam ullius reliquarum formarum, cum enim Monarchia majestatem Imperii pro fine habeat, Democratia libertatem; Aristocratia nostra utilitatem subditorum spectat, quam cum fine Rerumpub. generali salute populi, quæ suprema ubique lex debet esse, coincidere certum est.

## V.

Tertio ea est optima Reipubl. forma, in qua bonæ leges dominantur, dicente Arist. 3. pol. c. 7. id. a. in Aristocratia fieri, hinc patet, quia optimi ibidem regnant, qui leges non modo optimas sancire, sed & eorum decretis præpopulari libidine, aut facile immutando Rege inhærere solent.

## VI.

Quarto ipsa necessitas Aristocratia Primatum videtur

detur evincere, unus enim homo, utut sapiens, utut rebus gerendis idoneus, tanto oneri, quantum imperiū est sufficere nullatenus potest, plures igitur requiruntur, qui cum nisi optimi esse non debeant, optimatum status vel ob necessitatem reliquis est præferendus.

### VII.

Probat hoc ipsum ultimo, ut alias rationes omit-  
tam, evidentissimorum exemplorum cumulus, unde manifeste deprehenditur, nullam Rempublicam tran-  
quillæ administrationis felicitate diutius gaudere, quam illam, quæ leges Aristocraticas servat.

### VIII.

Evidens imprimis est exemplum Judaicæ Aristoc-  
ratia, à Deo ipso instituta, & tot sanctorum hominum successibus nobilitata. Item si ad nostra tempora re-  
gredi voluerimus, ipsum Romanum Imperium, ipsa ul-  
tima Monarchia, Aristocratia non levem mixturam commodissime admisit.

### IX.

Quid dicendum de illa, quæ dicta olim,

Terrarum Dea gentiumq; Roma?

Nunquam certe felicius orbis habenas quassavit, quam cum ab Optimatibus regeretur, nunquam afflicta magis fuit, quam cum vel insana plebs, vel Tyrannus Monarcha Imperium ad se traxisset. De Venetiis, Roma illa palis incubante, quid judicandum quot jam se-  
culis sub Aristocratia, nulla tempestate tranquillum felicitatis otium turbante, pelago innatat?

### X.

Authoritatibus si placeret hic agere, tam probare possemus Philosophum Aristocratiam Monarchiæ præ-

ferre, quam ii qui Monarchiæ partes defendunt contrarium, quamvis enim octavo Eth. c. 10. & 3. pol. c. 5. itemque Methaph. 12. c. 10. Monarchiæ primatum concedere videatur tamen 3. polit. c. 16. plures bonos facilius uno videre quid è re Reipub. sit asserit, unde facile patet, non absolute eum in superioribus locis loqui, sed Aristocratix nihilominus palmam deferre, quod etiam notavit ille nuper Tubingensium Aristoteles, Dn. Geilfusius, p. m. Exercitat. Polit. 3.

## X I.

Quod si denique vitia, quibus quisque status non secus ac quodq; pomum suo verme infestatur, examinanda veniant, iterum apparebit, non solum longe minoribus, optimatum imperium premi, sed longe rarius etiam iis inquietari, sicque longe meliori quam reliquas species harmonia gaudere.

## X I I.

Vt Regni vitia, teste Clapm. & Heidero, sunt incestus, adulteria, veneficia, Atheismus, fratricidia, vis Tarquiniana, immissio sicariorum, injusta bella, immensæ profusiones, immensæ exactiones, &c. in Rep. (speciatim ita dicta.) immodica sævitia, oppressio magnatum injusta, immensa sub prætextu libertatis licentia, imo omnia Regni & Aristocratix sunt vitia, cum status ille Optimatum, præter regiam paucorum dominationem, proscriptiones item & asperitatem imperii, nullum grande vitium in se contineat.

## X I I I.

Sed ad ea nunc nos convertimus, quæ produci vulgo pro eminentia reliquorum Reipubl. statuum & obijci contra nostram sententiam solent, non omnia ta-  
men



men, sed ea solum quæ præcipui esse ponderis videbuntur, in medium allaturi & breviter refutaturi.

## XIV.

Præcipuum autem quod solet objici, est discordia magnatum, & tot capitum decreta, non facile in unius sententiæ concordiam concilianda, hincque nata in rebus expediendis moræ & remoræ, verum concedi hoc posset, si sine legum placitis cuique quod vellet & proponere & urgere liceret, alia autem est ratio eorum, quos legum autoritas conjunctis viribus salutis Reipubl. invigilare jubet. Mora quam ex sententiarum varietate quidam metuunt, plus sæpe prodest, quam nonnullorum impetus, qui festino partu canes imitati, cæcos catulos pariunt, melius facturi, si celeres Fabii moras imitarentur.

## XV.

Nec majoris est momenti cum objiciunt, certaturos cives, dum optimum se quisque putaret, & in Magistratu omnes locum quæsituros, unde Reipubl. periculum facile imminere posset. Quid enim hoc modo fieret in statu regio, an enim neminem virtute parem aut superiorem esse Rege credemus? Historia certe docet, optimis sæpe pessimos præfuisse.

## XVI.

Objiciunt porrò quidam, Aristocratiam vel ideo non posse perfectam & stabilem esse, quia in ea subditi coguntur dominis simul inservire duobus, quod vel ab ipso Christo factu impossibile est judicatum. Verum nec Christus de Dominis aliis locutus est, quam iis, qui contrariis mandatis parendi possibilitatem tollunt, aliàs enim nec Deo & Cæsari simul subditi esse possemus,

mus, nec etiam binæ potestates aut majestates sunt in Aristocratia, sed licet non in unius persona, una.

## XVII.

Speciosum autem est primo intuitu, quod ab exemplo divinæ gubernationis, firmam Reipub. formam desumendam existimant, quæ quia monarchica est, Monarchicam etiam exigere videtur: sed regerimus, ab infinito illo, omniscio & omnipotente numine, malè ad nostræ conditionis concludi miseriam, quæ cum infinitum ab illa sublimitate distet, cogit nos collatis optimorum viribus facere, quod expedire alias unus non potuisset. Possimus fortè in œconomia cura illam regiminis imitari formam, non in immenso imperandi labore, quo ipso objectionem de apibus adferri aliàs hic suetam refellimus.

## XVIII.

Argumenta quæ pro Monarchiæ principatu adferri solent, non solum varia sunt, sed & robore inæqualia, eorum potiora tantum breviter discutienda nobis hic sumemus.

## XIX.

Ratio à perfectione deducta, ad quam proximè accedere dicitur, quod proxime ad unitatem, alicujus forte roboris esset, nisi ingens nostra obstaret imperfectio, propter quam nemo satis prudens sufficiensque regimini solus esse potest, nisi forte Salomon aliquis, qui tamen licet sapientissimus fuerit, ita regnum non administravit, ut post mortem querelas subditi non haberint apud filium, de emendanda sævitia paterna.

## XX.

Nec satis hunc defectum explere videtur vicaria  
illa

illa & mercenaria consiliariorum opera, qui quam sæpe muneribus, metu, aut adulationibus victi, privato publicum postponant, quam sæpe Argentangina laborare, quam sæpe aureis militibus victas dare manus soleant, & publicè notum est, & fides testatur historiarum.

### XXI.

Contra suam pugnant sententiam, qui Monarchiæ præstantiam deducere volunt, à Regibus Judæorum, cum tamen Deus cum Aristocratia, etiam se rejecisse Judæos, expresse testetur. Docet illud egregiè jus regium, populo à Propheta Samuele jussu Dei annunciatum, quod an statum ubi omnia ad publicam salutem (id enim optimi status ratio postulat) diriguntur, oleat? satis patet. Et licet maxime hæc omnia non essent, quot speciales populus ille præsertim in judiciis habuit sanctiones, & consuetudines? quas eum antiquato veteri Testamento reducere velle, esset superflua abuti diligentia.

### XXII.

Facilis quoque est responsio cum objicitur, quod boni sint,

*Rara avis in terris, nigroque similima cygno,*  
adeoque inventu perquam difficiles, quomodo enim ipsi Monarchophili bonum hoc modo se certo inventurum, cui omnia concedant, polliceri sibi poterunt? aut quomodo inventum permansurum in bonitate sperabunt? cum ætas, amicitia, aliaque plura, immane quantum mortalium immutare soleant animos. Qui autem paternam in filiis bonitatem quærunt, (electionem sc. successioni præferentes,) hoc ipso ostendunt se ignorare, herorum filios ut plurimum noxas esse.

B

23. Nec



Nec multo fortius urget, quod nonnulli Monarchiã præferendam reliquis regendi volunt formis, ob silentii necessitatem, in rebus Reipub. salutem concernentibus, cum enim certum sit, tantum prudentiæ abyssum Principi nunquam suppetere, ut sine consiliariis regnare possit, & per consequens consiliariis communicanda sint arcana illa, quis non videt multo tutius concedi iis, qui ipsi magistratum gerunt, quam hominibus, qui nullum gubernationis jus in Republ. habent.

## XXIV.

Argumentum quod ex Isocrate huc adferri solet, facilius esse unius voluntati quam multorum satisfacere, tam pro Aristocratia facit, quam pro Monarchia, nec enim divisam in optimates potentiam statuit, qui de eorum Imperio recte sentit, sed potestatem in omnes ita transfert, ut nulli separatim possit tribui, hincque nulla parendi est difficultas, cum omnes non nisi unum præcipiant.

## XXV.

Hæc de Aristocratia cum Monarchia collata dicta sunt, cui de eminentia sua, ut in proœmio etiam testati sumus, detrudere nihil quicquam cupimus, non etiam aliter Aristocratiam optimam esse formam diximus, quam quatenus optimum designat τὸ ἀριστερον, hoc est, id quod melius & utilius est, nam τὸ βέλτιον Monarchiæ deberi, absit ut contra tot tantorum virorum auctoritatem negemus.

## XXVI.

Quemadmodum autem elementa in mundo putata vix reperiuntur, ita quoque status & formæ Reipub. raro mixtura carent, quod forsan etiam Aristocratia nostra

nostræ contingere solet, nos quicquid illud sit, litem istam nostram non facimus, sed de Aristocratia prout illam definivimus, loquimur & disputamus.

## XXVII.

Impingit omnium propè Politicorum iudicio Bodinus, quando Aristocratiam putat, quamvis posse esse Rempub. quæ ex paucis constat, nulla bonitatis habitatione, confundit enim hoc modo Oligarchiam, cum Aristocratia, genus, cum specie ipsa etiam nominis, etymologia reclamantè.

## XXVIII.

De Democratia, cum à plerisque Politicis Aristocratia postponatur, nolimus multis hic agere, ne de lite jam dijudicata verba facere voluisse videamur, cui rationes quibus alias pro præstantia ejus pugnare solent, adferre placuerit, poterit illud in collatione facere, nos in re parum controversa, multū operæ ponere nolimus.

## XXIX.

Hoc tantum dicimus, quamvis inter vitiosas formas illam non ponamus, videri tamen quod non adeo stultè judicavit Anacharsis, qui sapientes dixit in Democratiis decidenda proponere; stultos verò judicare.

## XXX.

Et hæc quidem sunt quæ de Aristocratia simplici brevitate usi, in medium adferre hac vice voluimus, reliqua, quæ fusius hic explicari & ulterius deduci potuissent, conflictui reservantes, & eorum ingeniis quorum præstantia, nostram superat exiguitatem. Nunc manum de tabula, nihil addimus præter sequentia sex

B 2

COROL.

---

## COROLLARIA.

**I**N Romano Imperio, status Aristocraticus  
rigide dictus, nullus datur.

2. Formæ Reip. solo numero Imperantium,  
non opibus, non virtute distinguuntur.

3. Romanum Imperium malè dicitur Ari-  
stocratia esse.

4. Oligarchia non semper est mala.

5. Democratiam præcedunt Aristocratia  
& Monarchia.

6. Helvetii non faciunt unam Remp.  
Optimum optimo, Rerumpublicarum condi-  
tori sapientissimo, Magistratum Protectori  
vigilantissimo, sit laus & gloria,  
sine fine.

F I N I S.



CAR-



CARMINA GRA-  
TULATORIA.

I.

Qui procerum Regimen valdè pro-  
pugnat arist<sup>on</sup>:

Inferet hunc tandem cælica Cura  
BONIS.

*Ita vovet & Præstantissimo*

*Dn. Respondenti precatur ex animo*

M. Johan-Adam Osiander.

Diaconus Tubing.



II.

Sic sic vertice verberabis astra  
Sublimi Patriæ decusq; amorque.

*Ita suavissimo suo Commensali*  
*ac Amico lectissimo, &c. applaudit*

M. Justus Wilhelm Tulla.

**R** Eche kan von dem Poggius der berühmte Orvenus  
\* schreiben

Daß er zwar wol könne bleiben  
In der treuen Bürger Zahl/ weil er pflag die Feind zuscheltē/  
Und ihr Lob nicht liesse gelten/  
Lobe' hingegen seine Leut/ aber wann er schreib Geschichten/  
Wach' er so sein Lob zunichten.  
Eben dises könt man auch von dir werther Pfleger sagen/  
Weilen du uns vorgezogen/  
Daß der Stand der beste sey/ der zu Augspurg auch zu finden:  
Wann du nicht mit fatten Gründen  
Dise Meinung führtest aus/ und so köntest uns bezeugen/  
Daß nicht nur das blosser Neigen  
Gegen deinem Vatterland/ habe dich darzu bewogen/  
Daß du jekund vorgezogen/  
Aller andren Verschungsart/ dise/ dazu Verschren pflegen/  
Beste besten Nutzens wegen.  
Dann es gibt auch die Vernunfft/ daß vil gute besser sehen/  
Was zu aller Nutz mög stehen/  
Als nur eines Menschen Wis/ oder der gemeine Mann/  
Der nicht richtig richten kan.  
Ja der grosse Stagirit scheint im Zweifel selbst zu stehen/  
Ob er vor woll lassen gehen/  
Diser Art die Königreich/ weil dort viler kluges Dencken  
Alles muß zum besten lencken.  
Dises nun/ in dem du es öffentlich uns hast gewisen/  
Wird dein kluger Fleiß geprisen/  
Dises weist wie emsig du bist den Büchern obgelegen/  
Und gleich wie die Bienen pflegen/  
Den so süßen Künsten Safft aus denselben hast genossen/  
Bis du bist darzn gekommen/  
\* Ita Orvenus in Epig.  
Dum patrios laudat dum culpat Poggius hostes,  
Nec malus est civis nec bonus Historicus.

Daß



15.  
Daß du deiner Arbeit Prob offentlich an Tag kanst bringen/  
Vnd dich aus dem Staub erschwingen/  
Da der dumme Pöbel klebt/welcher weder Künsten achtet/  
Noch nach Lob und Ehren trachtet.  
Deß belobten Lorberbaums Zweige von der Musen Garten  
Welche deiner Jekund warten/  
Werden von des Phöbus Hand eingeflochten dich bezieren/  
Vnd dein Lob an Himmel führen.  
Dann gleich wie das Lorberblat nimmer pflaget zu verderben/  
So sol auch dein Lob nicht sterben.  
Ich wünsch dir vor meinen Theil/ daß du solches Lob vermehren/  
Mögest oft mit neuen Ehren/  
Vnd daß deines Namens Ruhm bleiben mög nach diser Zeit/  
In der blauen Ewigkeit.

Seine getreue Dienstfertigkeit/ gegen  
seinem sehr werthen Freund zu  
bezeugen/ schreib diß in grosser Eil

M. Abraham Knuth.

E N D E.





94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

3

002 381 974




sb.

7360



**A** **S**piritus sancto et ceperunt loqui  
humana dicit suo illud. Eua



ATVM PRINCIPE,

E N T E,

RICO PREGIT-

giæ Licentiato &

Professore publ.

nagno,

*hanc,*

UM STA-

IVS STATVS,

*abitur,*

Augusta-Vindelicus.

*Februarij,*

ilosophico,

dianis,

N G Æ.

ANDRI CELLI.

DC LVI.

